



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac  
de ejus voluntate, & Providentia

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

§. II. Triplex conclusio statuitur,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](#)

## DISPUTATIO PROOEMIALIS

Ut enim notat h̄ic Caietanus , speculativum & practicum se habent ad scientiam ut sic , sicut vivum & auditivum ad sensum. Unde sicut sensus ut sic , primō dividitur in communem & proprium : proprius verō subdividitur in vivum , auditum , &c. Ita scientia ut sic , dividitur primō in infinitam , id est habentem objectum infinitum , qualis est Theologia ; & finitam , seu habentem objectum finitum , qualis est scientia purē naturalis ; & h̄ac subdividitur in speculativam & practicam. Quamvis ergo speculativum & practicum sint differentiae essentiales distinguentes scientias finitas , subindeque non possunt in illis adunari ; non tamen sunt differentiae essentiales scientias infinitas , sed in illa adunari possunt , & eminenter formaliter contineri : quia , ut supra dicebamus , quae sunt dispersa in inferioribus , uniuntur in superioribus , & objectum infinitum , potest simul esse regula speculationis & praxis , cūm sit simul prima veritas & ultimus finis.

Dices , Metaphysica etiam considerat Deum , & tamen est purē speculativa : Ergo h̄ac ratio nulla est.

Respondeo primō , Metaphysicam non respicere Deum , sub ratione Deitatis , sicut Theologiam , sed ut est ens abstrahens à materia intelligibili , nec illum considerare sub ratione ultimi finis , saltem formaliter & direc̄te ; cūm non agat de mediis ad illum conducebantibus , sicut Theologia.

Respondeo secundō , quod licet daretur Metaphysicam respicere Deum sub ratione Deitatis , in hoc tamen differet à Theologia , quod prima illum respiciat , ut cognoscibilem ex creaturis , & lumine naturali intellectus creati : secunda verō eum attingat , sub lumine supernaturali fidei , quae est eminenter formaliter speculativa & practica , ut confat ex supra dīctis.

Objicies secundō : si Theologia est simul speculativa & practica , quilibet etiam ejus actus est speculativus & practicus : Sed hoc est falsum: Ergo &c. Major videtur manifesta , nam in quilibet actu reperiri debet ratio formalis objecti & habitus. Minor verō probatur. Ita conclusio Theologica , In divinis sunt quatuor relationes , videtur esse merē speculativa ; & h̄ac , Peccatum mortale privat gratiā & charitate , ac inducit reatum pona ēterna , merē practica : Ergo quilibet actus Theologiae non est simul speculativus & practicus.

Respondent aliqui negando minorem : ad cuius probationem , negant subsumptum : imo , inquit , quilibet praedictarum conclusionum , est simul speculativa & practica : quia non debemus judicare , an aliquis actus sit speculativus , vel practicus , ex objecto materiali , sed ex ratione formalis : quæcumque autem tractantur in Theologia , attinguntur sub lumine divinae revelationis , & per se ordinantur ad Dei visionem , qua simul est contemplatio prima veritatis , & consecutio ultimi finis , ideoque simul includunt rationem practici & speculativi , quamvis secundum se , & secundum objectum materiale , apparent merē speculativa , vel merē practica. H̄ac solutio probabilitate non careret.

Secundō tamen responderi potest , negando sequelam majoris , licet enim anima rationalis sit eminenter formaliter vegetativa & sensitiva , quilibet tamen ejus actus non est vegetativus & sensitivus : ita licet habitus Theologiae sit emi-

A nenter formaliter speculativus & practicus , non requiritur tamen , ut quilibet ejus actus utramque rationem habeat , quia quilibet actus non fertur ad omnia quae pertinent ad habitum : unde licet quilibet actus debeat participare rationem formalem habitus , non est tamen necessarium , quod illam totaliter & adæquatè participe : licet enim illa sit formaliter indivisibilis , virtualiter tamen divisibilis est , & uni actui inadæquatè convenire potest.

## ARTICVLVS V.

B An Theologia sit certior alijs scientijs & habitibus naturalibus?

## §. I.

Tris premittantur ad resolutionem questionis necessaria.

C N Otandum primō : quod sicut duplex est veritas , una objectiva , quae est in rebus ipsis ; & alia formalis , quae residet in intellectu cognoscente , ut docetur in Metaphysica , ita & duplex certitudo : una objectiva , quae est firma & invariabilis objecti determinatio ; alia formalis , seu subjectiva , quae est firma adhaesio intellectus ad verum. Et h̄ac adhuc est duplex : una imprima , que oritur ex sola motione & impetu voluntatis , determinantis intellectum ad assentiendum aliqui objecto , ut contingit in Hæreticis , qui non credunt ex motu divinae revelationis , sed ex eo quod iudicant unum articulum fidei esse credibile , non verō alium ; & h̄ac magis dicenda est pertinacia quam certitudo : altera propria , que oritur ex efficacia medij , vel rationis determinantis intellectum ad assentiendum veritati , & de hac solū procedit quæstio.

D Notandum secundō : aliquam scientiam , vel habitum , posse dici duobus modis alio certiorē : Primo quoad se , quia scilicet ex se & ex sua natura , firmiores habet causas sue certitudinis . Secundo quoad nos , quando scilicet ejus certitudo est magis connaturalis , & proportionata nostro intellectui , magisque illum satiat & quietat , quod contingit , quando certitudo est conjuncta cum claritate & evidentiā.

E Notandum tertio : aliud est quod aliquis habitus vel scientia sit certior prout est in nobis , & aliud quod sit certior quoad nos. Ad primum enim sufficit , quod talis habitus vel scientia , ut recepta in nostro intellectu , & quatenus illum informat , majorem ei tribuat certitudinem , & adhaesione ad verum : ad secundum verō requiritur insuper quod talis certitudo sit magis connaturalis , & proportionata intellectui nostro , magis illum satiat & quietat ; magisque ab illo motu hæsitationis & dubitationis excludat. Quæ distinctione diligenter annotanda est , ex ejus enim inadvertientia frequens contingit apud aliquos recentiores hallucinatio , & equivocatio in hac materia.

## §. II.

Triplex conclusio statuitur.

Dico primō : Theologiam esse certiorem quoad se , quālibet scientiā , & habitu naturali , non solū certitudine objectivā , sed etiam subjectivā. Ita D. Thomas h̄ic art. 5. &

47.

omnes ejus Discipuli contra aliquos recentiores.

Prima pars conclusionis est evidens. Illa enim scientia est certior certitudine objectivâ, que versatur circa objectum magis certum, magisque immutable, & necessarium: Sed Deus, qui est objectum Theologie, majorem habet certitudinem, & immutabilitatem, ac necessitatem esse di, quam omnia alia entia creatâ, quæ sunt objecta aliarum scientiarum; ut enim dicitur Jacobus 1. *Apud quem non est transmutatio, nec certitudinis obumbratio.* Ergo Theologia certior est, certitudine objectivâ, omnibus aliis scientiis & habitibus ordinis naturalis.

48. Secunda vero pars, in qua major est difficultas, probatur: certitudo formalis, seu subjectiva, oritur ex efficacâ, & infallibilitate medij determinantis intellectum ad assentendum veritati, ut declaravimus in primo notabili: Sed medium cui Theologia innititur, & quô utitur ad probandas veritates quae in ea demonstraneantur, est magis certum, magisque infallibile, & immutable, quam media ex quibus scientiae naturales procedunt ad probandas suas conclusiones: illæ enim utuntur mediis & principiis purè naturalibus, Theologia vero principiis revelatis, & fidei divinae creditis, quæ majorem habent certitudinem & infallibilitatem, quam principia lumine purè naturali cognita: ut docent Theologi 2. 2. quæst. 4. art. 8. & colligunt ex illis verbis Christi Luce 21. *Celum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Quorum verborum sensus est ( ut exponunt Sancti Patres ) veritates totius naturæ potius defuturas, quam verborum Christi. Unde Augustinus: *Faci- lius dubitarem vivere me, quam esse vera qua- cap. 10. audi vi.*

49. Confirmatur primò: ille habitus dicitur certior quoad se, qui habet majores & firmiores causas sua certitudinis & infallibilitatis: At fides, & consequenter Theologia, que illi innititur, majores & firmiores habet causas sua certitudinis, & infallibilitatis, quam scientiae naturales: Ergo est certior quoad se. Major constat ex primo notabili, Minor vero probatur. Assensus primorum principiorum, & veritatum naturalium, est à natura nos movente ad illum: assensus autem fidei est à motione, & impulsu Spiritus Sancti, excitantis piam affectionem ad credendum, ut docetur in tractatu de fide: Sed Spiritus Sanctus movens nos ad credendum, est causa firmiter, & infallibilior, quam natura movens nos ad assensum primorum principiorum & veritatum naturalium: Ergo &c.

Confirmatur secundò: magis repugnat quod Deus erret vel mentiatur immediate per seipsum, quam per causam secundam: At si in assensu fidei vel Theologie posset esse error, vel falsitas, Deus immediatè per seipsum erraret, aut mentiretur, cum fides nitatur divinae veritati, & infallibilitati ac evidenti cognitionis divinae, unde Richardus à Sancto Victore, *Domine si error est quod credimus, a te decepti sumus.* Si autem esset error in assensu primorum principiorum, & veritatum naturalium, Deus erraret solum mediante causâ secundâ, quam ut author luminis naturalis moveret ad assentendum illis principiis & veritatis revelatis: Ergo magis repugnat reperiri errorem in assensu fidei, vel Theologia, quam in assensu primorum principiorum, & veritatum naturalium.

Confirmatur tertio: certitudo supernaturalis

A superat & transcendit certitudinem totius naturæ: Sed certitudo fidei, & Theologie, quæ illi innititur, supernaturalis est; certitudo vero scientiarum naturalium, est purè naturalis, & sicut sit intra limites naturæ: Ergo certitudo fidei superat certitudinem scientiarum naturalium.

Dico secundò: Theologiam non solum secundum se, vel prout est in Deo, & Beatis; sed etiam prout est in nobis viatoribus, & prout informat intellectum humanum, instruunt habitu fidei, certiore esse quilibet scientiâ, & habitu ordinis naturalis.

B Hæc conclusio sequitur evidenter ex praecedenti, nam Theologia, etiam prout est in nobis, procedit ex principiis cognitiis lumine supernaturali fidei: At certitudo fidei, cum innitatur causæ omnino infallibili, scilicet revelationi divinae, & motioni Spiritus Sancti, excedit omnem certitudinem ordinis naturalis: Ergo Theologia, etiam ut est in nobis viatoribus, certior est quilibet scientiâ, & habitu ordinis naturalis.

C Confirmatur: repugnat causam formalem informare subjectum, & non tribuere ei suum effectum formalem; siquidem effectus formalis non est aliud, quam causa formalis, ut communicata subiecto: Sed assensus fidei & Theologie, cum nitatur divine revelationi formalis, aut virtutis, firmior est & certior quilibet assensu naturali, ut jam ostendimus: Ergo etiam prout est in nobis, & prout informat intellectum nostrum, majorem illi communicat firmitatem & certitudinem.

Dico tertio: Theologiam esse minus certam, quoad nos, scientiis naturalibus, & habitu primorum principiorum. Est contra quosdam recentiores, est tamen D. Thomæ locis statim citandis, Capreoli in 3. dist. 25. art. 1. conclusione 3. & art. 3. ad 2. contra 3. Et Caietani hîc & 2. 2. quæst. 4. art. 8.

D Probatur primò ex D. Thoma hîc art. 5. ad 1. ubi cum sibi proposuisse hoc argumentum, *Certitudo pertinet ad dignitatem scientie: sed alia scientie de quibus dubitari non potest, videtur esse certiores sacra doctrina, cuius principia (scilicet articuli fidei) dubitationem recipiunt: ergo alia scientie videtur fidei digniores.* Respondebat. *Ad primum dicendum quod nihil prohibet id quod est certius secundum naturam, esse quoad nos minus certum, propter debitatem intellectus nostri.* Et 2. 2. quæst. 4. art. 8. querit an fides sit certior habitu primorum principiorum, sapientiâ, & scientiâ: & concludi his verbis. *Dicendum est quod certitudo potest considerari duplice. Non modo ex causa certitudinis, et sic dicitur esse certius illud quod habet certiorem causam: Et hoc modus fides est certior tribus predictis, quia fides innititur veritati divine, tria vero predicta innituntur rationi humanae.* Alio modo potest considerari certitudo ex parte subiecti, et sic dicitur esse certius quod pleniè consequitur intellectus hominis. *Et per hunc modum, quia causa fidei, sunt supra intellectum hominis, non autem quae subsunt tribus predictis, id est ex hac parte fides est minus certa.* Sed quia unumquodque iudicatur, simpliciter quidem secundam causam suam; secundum autem dispositionem, quo ex parte subiecti est, iudicatur secundum quid, inde est quod fides est simpliciter certior, sed alia sunt certiora secundum quid, scilicet quoad nos.

E Quibus verbis clarissime docet, habitum fidei

## DISPUTATIO PROOEMIALIS

(idem dicendum est de Theologia quæ illi innititur) esse quidem certiorem secundum se habitus scientiæ, sapientiæ, & primorum principiorum, quia habet causas certiores, & innititur veritati divinae, cùm alij habitus innitantur rationi humanae: esse tamen minùs certum quoad nos, & ex parte subjecti; quia cùm ea quæ sunt fidei, sint supra intellectum hominis, nec sunt clara & evidenter, sicut ea quæ sciuntur, intellectus humanus, non ita, plenè illa consequitur. Unde cùm sibi primo loco objecisset, quod fides, cùm non excludat omnem dubitacionis motum, non videtur esse certior scientiæ, & sapientiæ, quæ non habent dubitationem, circa ea quorum sunt. Respondet quod illa dubitatio non est ex parte causa fidei, sed quoad nos: in quantum non plenè affequimur per intellectum ea quæ sunt fidei.

Nec valet responsio quorundam recentiorum, qui dicunt, quod quando D. Thomas docet, fidei minùs est certam scientiæ, sapientiæ, & habitu primorum principiorum quoad nos, & ex parte subjecti, loquitur de subjecto nudè sumpto, seu de intellectu humano, non utente habitu fidei, non autem de subjecto, tali habitu informato, & de intellectu habitu fidei utente. Hæc enim interpretatio evidentissimè repugnat textui: nam D. Thomas in illo articulo, non comparat habitum scientiæ, sapientiæ, & primorum principiorum, cum intellectu nudè sumpto (est enim absurdum hæc comparatio) sed cum ipso habitu fidei; & docet, quod licet fides sit certior simpliciter, & quoad se, illis habitibus, est tamen minùs certa secundum quid, sive quoad nos, & ex parte subjecti: Ergo sicut quando dicit, quod fides est certior quoad se prædictis habitibus, loquitur de fide, ut informante intellectum humanum, non vero de ipso intellectu humano nudè sumpto, & secundum se considerato: ita & quando addit, illam secundum quid, & quoad nos esse minùs certam illis habitibus, loquitur etiam de fide ipsa, & de intellectu, ut illa utente, & ut ea informato.

Probatur secundum conclusio: certitudo illa dicitur major quoad nos, quæ est magis connaturalis, & proportionata intellectui humano, & quæ magis illum satiat, & quietat, ut diximus in secundo notabili: At certitudo scientiarum naturalium, & habitus primorum principiorum, cùm sit conjuncta cum evidentiâ & claritate, est magis connaturalis, & proportionata intellectui humano, magisque illum satiat & quietat, quam certitudo fidei & Theologiae, quæ est conjuncta cum obscuritate & inevidentiâ; ex quo provenit quod fides indiget pli motione voluntatis, applicans intellectum ad assentiendum veritatis revelatis, & patiatur motus quosdam dubitationis indelibertos, non autem scientiæ naturales, & multò minùs, habitus primorum principiorum: Ergo fides & Theologia sunt minùs certa quoad nos, scientiis naturalibus, & habitu primorum principiorum.

## §. III.

## Solvuntur objectiones.

**O**bijecies primò contra primam conclusio-nem: cognitio quæ habetur sine discursu, est certior discursivâ: cùm prima sit certa ex se, & ex connexione terminorum, alia vero ab alio, & per participationem principiorum: sed co-

Agnitio primorum principiorum, habetur sine discursu, assensus vero Theologicus per discursum: Ergo cognitio primorum principiorum est certior assensu Theologicò.

Confirmatur: quando intellectus operatur per modum naturæ, firmius & immobilius operatur, quam dum agit per modum liberi: Sed in assensu primorum principiorum, & veritatum naturalium, se habet per modum naturæ, & ad illum necessitatur (falem quoad specificacionem) è contra vero in assensu fidei, vel Theologiae, liberè operatur: cùm talis assensus supponat determinationem, & plam motionem voluntatis, quæ est potentia libera, & defectibilis: Ergo intellectus in assensu primorum principiorum firmius & immobilius operatur, quam in assensu fidei, vel Theologiae.

Ad objectionem respondeo, distinguendo Majorem: cognitio quæ habetur sine discursu, certior est discursivâ, si sit ejusdem ordinis, concedo: si sit ordinis inferioris, nego. Cognitio autem primorum principiorum, cùm sit purè naturalis, est inferioris ordinis ad cognitionem & certitudinem fidei, quæ pertinet ad ordinem supernaturalem.

Ad confirmationem similiter distinguo Majorem: quando intellectus operatur per modum naturæ, firmius operatur, &c. in rebus ejusdem ordinis, concedo: diversi ordinis, nego. Constat enim quod Deus operans liberè, firmius agit quolibet agente naturali & necessariō. Item Spiritus Sanctus movens & applicans hominem ad actus supernaturales, per auxilium gratiæ, firmius operatur, quam natura impellens nos ad assentiendum primis principiis: unde quāvis assensu fidei supponat determinationem, & plam motionem voluntatis, quæ libera est, & defectibilis; quia tamen talis motio & applicatio, est à Spiritu Sancto movente & applicante voluntatem, per auxilium gratiæ, & aperiente cor hominis, ut credat veritatibus revelatis, ut dicitur Actorum 16. de Lydia purpuraria, cuius Dominus aperuit cor, intendere his quæ dicebantur à Paulo: assensus fidei certior & firmior est, assensu primorum principiorum.

Obijecies secundo: assensus qui non excludit omnem motum dubitationis minùs est certus, quam ille qui eum excludit: sicut illa columnæ quæ nullò modò potest moveri, vel concipi, firmior est alia, quæ aliquem patitur motum, vel impulsū: Sed assensus fidei, vel Theologiae, non excludit omnem dubitationis motum, bene tamen assensus primorum principiorum, de quorum certitudine nemo dubitat: Ergo assensus fidei, vel Theologiae, minùs est certus, quam assensu primorum principiorum, vel scientiarum naturalium.

Respondeo distinguendo Majorem: assensus non excludens omnem motum dubitationis, est minùs certus &c. si illa dubitatio proveniat ex motivo, & ratione formalis objecti, concedo. Si proveniat solùm ex debilitate intellectus cognoscens, nego. Motus autem dubitationis, qui sunt in fidelis, aut Theologo, non procedunt ex motivo, seu ratione formalis fidei, aut Theologiae; sed ex debilitate intellectus humani, qui non potest perfectè quietescere, nisi in objecto viso, & clare cognito. Unde ex eo quod fides & Theologia, motus quosdam dubitationis indelibertos patientur, solùm inferri potest, illos habentes non esse certiores quoad nos, scientiis naturalibus,